

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE EO

**QVOD REFERT
FEUDUM ESSE VERE
ANTIQUUM VEL NO-
VUM JURE ANTIQVI
CONCESSUM,**

QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO JICTORUM ORDINE
PRÆSIDE
VIRO PRÆNOMINISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO

**DNO. ERNEST. JOH. FRID.
MANTZEL,**

JCTO ET ANTECESSORE FAMIGERATISSIMO AC FCTIS
JURIDICÆ AD h. ACTUM DECANO SPECTABILISSIMO,
PRÆCEPTORE AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE OMNI
HONORIS CULTU NUNQVM NON PROSEQVENDO
IN ILLUSTRI ET PERANTIQA MECKLENBURGEN,

SIUM ACADEMIA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES
AC PRIVILEGIA OBTINENDI

Die 22. Septemb. MDCCXXXV.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI EXHIBET

GUST. FRID. SCHWABE, ROSTOCH.
CONSIST. DUCAL. MECKL. ADVOC. & PROCURATOR ORD.

ROSTOCHII, Typis JOH. JAC. ADLERİ, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

CONSULTISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
DN. DOCTORANDO,
AMICO SUO SELECTISSIMO,
S. P. D.
PRÆSES.

Quia tua modestia Vir Doctissime! non voluit
admittere, ut programmatice essent tuæ dis-
sertationi inaugrali præfixa, ea, & te inscio,
eidem affixa dabo. Redeunt autem illa, ne limites epi-
stolæ excedam, ad hanc dicendorum summam: **RES**
BENE GESTA EST. Posteaquam enim ea tibi
contigit felicissima sors, ut Anno. 1708. d. 24. Maii
in lucem hanc prodires, Patre, Jure-Consulto exi-
mio, Viro Prænobilissimo, Consultissimo atque
Doctissimo, **DN. CONRADU BERNHARDU**
SCHWABEN, Juris Utriusque Doctore celebra-
tissimo & tot causarum arduarum Patrono soli-
dissimo atque conscientiosissimo, Fautore & Ami-
co meo venerabili & probatissimo, *cujus majores*
& *vitam exponit* Programma B. JCti, Celeberrimi
SCHOEPFFERI, *præmissum disputationi inaugu-*
rali habitæ Anno 1701 de Diffessione Instrumen-
torum; Et Matre B. Elisabetha SUSEMIHLEN,
cujus elogium, cum proh dolor! moreretur, posuit

X

B. Theo-

B. Theologus QVISTORPIUS, fama post fata su-
perstes, Rem tuam, benedictione avorum utriusque
lineæ, virorum religiosissimorum & in hac provincia
verbi divini mystarum venerabilium, DEO, etiam
antequam nascereris, commendatus, bene gessisti,
a teneris unguiculis; Solerti institutione selectissi-
morum Præceptorum in omni humaniorum studio
usus es: Accedens ad Academica, & studio juridico
consecratus, B. Doctoris HILDEBRANDI, Viri
optimorum fatorum dignissimi, juris scientiam tra-
dantis scholas sedulus frequentasti. Venisti ad me,
& in iis quæ cum meis Auditoribus vel explicando,
vel examinando vel disputando tractare soleo, aliis
elegantissimum exemplum imitationis fuisti. Admi-
ratus sum acumen ingenii & judicii & quotidie ob-
servavi, quod te, genuinum tibi discendorum con-
ceptum imprimenti, in applicatione juris ad factum
nemo melior & circumspectior sit evasurus. Inter
alia, quæ semper in te aestimavi, erat etiam Hi-
storia literaria juridica, & amor eorum, quæ Hi-
storiæ & jus Patriæ afficiunt. Certe nil quid-
quam illuc faciens vel tibi manebat facile incogni-
tum, vel effugiebat, quoties dabatur occasio de illius
commatis libris, scriptis & documentis aliquid
vel differendi vel comparandi. Sic versabar in
Collegiis, extra parietes domesticos; sic conversa-
baris cum doctis, scripta corundem tecum solus
vol.

volvendo; sic in Collegio Practico perpetuo occupatus
eras inter pragmaticos venerandi Dni Parentis
labores & discursus; Sic Res bene gesta est. Nec
detrectasti prodire in publicum, sed rem in Auditorio
bene gessisti, defendendo, me Praeside, Anno 1730.
disputationem, & mibi meisque vel inauguraliter, vel
exercitii gratia disputantibus Candidatis & Commi-
litonibus opponendo. Rebus ita bene gestis flagrabis
voto audiendi etiam exterros; Halam igitur, inter
tot Academias, eligebas, fama Illustris BOEH-
MERI & aliorum celebrium Virorum invitatus, al-
lectus. Quam strenue ibidem rem tuam gesseris,
testatur favor & amor Optimorum Virorum, & Præ-
ceptorum: Testantur Amici Commilitones & Sym-
patriotæ in eodem studio & stadio laudatissime de-
currentes. Rediisti ad nos, ut rem tuam ulterius
bene gereres, & quidem aliis nunc interfervien-
do, Accinxisti te expediendis practicis, & dignis-
simus a mea Facultate impetrasti, ut Anno 1732.
per examinis solennia tibi titulum Candidati vindicares.
His exantlatis, variis occupatus labori-
bus practicis, nihil in te desiderari passus es: Et
postquam in numerum ordinariorum Procuratorum
illusterrimi Consistorii Ducalis receptus es, iis, qui
tuis utuntur consiliis, ita assistis, ut, quia tem-
erarios & vitilitigatores arcet, causæ ipsis feliciter cedant. Novi quam intricatis & Virum
X 2 postu-

postulantibus negotiis hactenus fueris exhibitus;
Novi etiam quam belle omnia extricaveris. SIC
RES BENE GESTA EST. Veni nunc ad cathe-
drām doctoralem, & post benc defensam disputa-
tionem hanc inauguralē, quam ipse, & quidem
post mutatam, alii themati dicatam, mentem, ex
tempore quasi scripsisti, accipe biretum doctorale
sub divina benedictione: Sis consultissimus Doctor,
& hoc honoris titulo ad seram senectutem
usque utere fruere, eumque semel, addita unica syl-
laba, alii communica. Labora in gloriam DEI,
in publicam utilitatem & in familiæ emolumētum.
Vale & me meosque tuæ sinceritati commenda-
tos habe. Ego semper testis ero rerum a
te feliciter gestarum.
Vale.





Q. D. B. V.

*DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,*

DE EO

QVOD REFERT FEUDUM ESSE VE-
RE ANTIQVM VEL NOVUM JURE
ANTIQUI CONCESSUM,

§. I.



E feudis novis sub clausula jure *institutum*
antiquorum concessis, (quæ clausula *institutum*,
nec otiosa nec inepta dici potest,
STRYKUS Vol. I. Disp. 17. de clau-
sulis in contractibus feudalibus occurre-
re solitis, cap. 2. num. ult.) acturo,
hanc quidem materiam ex æste tra-
ctare animus non est, quippe quod
brevitas temporis, cui inclusus, non
permisit, sed potiora tantum capita tradam, in quibus di-
versum quid in ejusmodi feudi ac in antiquis obtinere
arbitror, quæ consideratio, cum lucem afferre possit do-
ctrinæ feudi novi, antiqui, & hoc jure collati, suo non de-
stituitur pretio.

§. II.

Definitionem ac divisiones feudi *Generalia*
huc referre superse-
dere

A 2

4 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

*feudorum
ubivis obvia.*

dere possum, quippe quas neminem latere existimo. Adeat interim, qui eas desiderat, vel compendia juris feudalis, ubi ad naufragium usque eas relatas inveniet. Illud moneo, me potissimum loqui de feudis propriis jure antiquorum concessis, ita tamen, ut *impropria* penitus non excludantur, *conf.* *infra Diff. V.* Intelligenda autem sunt ejusmodi feuda impropria, quæ cum morte acquisitoris ad dominum non redeunt.

S. III.

*Descriptio
feudi novi.
Jure anti-
qui concessi.* Feudum quoque sub clausulâ *juris antiqui* concessum, quid sit? ambiguitate caret. Interim illud sic describo, *quod sit* *feudum novum*, cui ex pacto inter Dominum concedentem ac Vasallum acquisitorem ea qualitas adjecta, ut habendum sit jure

Requiritur veteris. Fundamentum itaque consistit in *pacto*, quamvis negari non possit, quod Statuto vel consuetudine idem effici queat. Ita CRAVETTA Part. 5 Conf. 926. num. 10. de patria Pedemontio notanter scribit: *si investituras omnes nobilium patrie intuemur, nulla credo de feudo novo inveniatur, quæ clausula hac caret, JURE ANTIQVI add. III. Dn. DE LUDE-WIG Diff. de simultanea investituradiff. I.* ut non adducam, quid in hoc Ducatu per REVERSALES de Anno 1621. de feudis novis emtis statutum sit. Mihi sermo erit potissimum de feudis novis ex pacto sub hac clausulâ concessis.

S. IV.

*Id quo gene-
rale.* Illud pactum inter Dominum, qui potuit, voluit sub hac clausulâ investire, & vasallum acquisitorem intervensisse, nec in specie vel expressim de agnatis successoris illud loqui, sed generalem quandam clausulam adiectam esse, suppono. Si enim de agnatorum successione mentio facta, *Quid si spe-
riale?* res est certissima, sin minus, omnia dependent ex idoneâ pacti istiusmodi interpretatione, & præsumtâ intentione partium contrahentium, ut infra pro ratione communiter obvenientium clausularum ostensurus ero.

S. V.

*Quid si se-
cunda.* Neque frustra desideravi *solum* vasalli acquirentis pa-
ctum

ANTIQUUM VEL NOVUM J. A. CONCESSUM. 5

Etum hic adesse, neque primi vasalli agnatos quicquam stipulato^r, quippe si hi vel generaliter concurrant, multo magis autem si speciatim successionem pa^teti sint, ratione eorum feudum vere novum est, & ex proprio pacto ad successionem admittendi, cuius diversos effectus videbis apud III Dn. BÖHMER. Preceptorum meum atatem de venerandum, in Consult. Vol. I. Part. 2. Resp. 89. n. 7. & 8. & infra passim observes.

S. VI.

Vis igitur ac potestas ejusmodi pa^teti generalis j. a. est, Effectus ejusmodi ut in primi acquirentis personā hoc feudum habeatur pro pater, modi pa^teterno, avito, proavito aut gentili, atque cum quoad descendentes generalis, hoc feudum vere antiquum sit, effectus sese exserit ratione primi acquirentis agnatorum, qui ab eo non descendunt, qui hic admittendi sunt. CRAVETTA all. conf. 926. n. 2. Aliam enim æque commodam interpretationem illud pa^tetum non recipit, licet natura feudi novi eadem alteretur, cum sensus & verba investituræ ante omnia intuenda sint, quibus omnino standum est. GAIL. II. Obs. 50. n. 14.

S. VII.

Tantum enim abest, ut hic cum HANNETONIO aliisque faciam, quorum argumenta recenset HUNNIUS in tractatu feud. cap. 6. p. 59. Quasi feudum novum sub eiusmodi clausulâ ita, ut naturam assumat & qualitatem feudi antiqui, concedi non possit, sed revera novum maneat. Quippe fundamenta eorum, quod nec veritas per hominum denominationem immutari, neque falsa demonstratio substantiam veritatis infringere queat, itidem quod alteri inferunt, per alterum jus acquiri non possit, facile collabescunt, cum feudum novum ita concessum, salva qualitate feudi antiqui revera novum maneat, STRYK. Ex. Jur. Feud. cap. 3. qv. 16. Ac quod ad regulam Juris Romani attinet, hæc subtilitas Germanis & quibus debemus feudorum originem agnita non sit. Conf. Noviss. Dissert. Ill. Dni. BÖHMERI de jure ex pacto tertii quo^suo.

A 3.

S. VIII.

¶ DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VIRE

§. VIII.

Neque mihi imponi patiar, dominum feudi id tantummodo significare voluisse, quod feudum questionis antiquitas concedi solitum sit, prouti hoc ab HANNETONIO quoque assertum deprehendo, cum ejusmodi investitura usitatissima fuerit in oblatione rerum alledicium hereditiarum, antea jure feudi nunquam recognitarum, Dn. BÖHMER in not. Mscr. ad STRYK. Ex. Jur. Feud. d. qv. 16. verb. prejudicium, quæ ratione acquisitionis certissime feuda nova sunt. Quia tamen agnatis invitatis oblatio fieri non poterat, Dn. de LUDEWIG diss. alleg. de Simili. Invist. Diff. I. salutari clausula à primo acquirentे (qui eorum iura imminuisse presumendus non est, BESOLD. Consil. Tubing. Part. 5. consil. 212. n. 49.) ipsis prospectum esse, haud inconcinnè colligitur.

§. IX.

Quare maxime *quendam in* *communi donis* *Arina.* Optimè itaque jàm observavit NATTA Tom. 2. Consil. 467. n. 7. quod sui temporis Clerorum nullus sere sit, qui non profiteatur sequi se hanc sententiam ut communem, à quâ ego quoque non recedo, non obstantibus HANNETONII argumentis, quæ, licet HUNNIO alleg. loco in refutatione eundem fundamentalium elegantissimorum nomine veniant, ego tamen elogio indigna esse cum ROSENTHALIO cap. 2. concl. 14. in not. tit. b. existimo. Addatur NATTA dicto consil. 467. § Consil. 468. CRAVETTA Part. 4. Consil. 624. 664. § Part. 5. consil. 926. 965. § 973. MENOCHIUS Lib. 2. Consil. 160. § Lib. II. Consil. 1033. § 1041.

§. X.

Cum igitur, ut dixi, hoc feudum ex pafso habendum sit pro antiquo, hæc conclusio tamen ita generaliter accipi non debet, ut in omnibus etiam, ubi ratio diversitatis aliud suadet, antiquis comparetur. Videntur mihi SCHRADER Schrader & Mevius n. de feudis Part. 7. cap. 6. num. 5. § MEVIUS Consil. 44. n. 82. enis generaliter locuti esse, dum ILLE afferat, quod hoc feendum in omnibus & per omnia naturam feudi antiqui fortatur,

satur, HIC autem scribat, quod feudum novum jure anti-
qui concessum feudo antiquo in omnibus comparetur &c.
Quod si fictio, quam DD. hac in re locum habere putant.
STRYK. Ex. Jur. Feud. cap. 3. qv. 16 CHRISTINÆUS Vol. 6.
Decis 3. n. 37. afferenda esset, atque regula: fictio idem ope-
ratur in casu ficto, quod veritas in casu vero &c. BARBOS
locuplet, Libr. 6. cap. 21. obtineret, SCHRADERI & MEVII
generales conclusiones admittendæ essent. Verum nulla
fictio hic subest, sed verum pactum, licet tacitum, quod à
fictione toto cœlo differt.

§. XI.

In hoc ipso etiam in quo comparatur, scilicet in ad-
missione agnatorum à primo acquirente non descendantium
vra adest diversitas, uti infra ostendam in successione
ascendentium & collateralium, ob quam rationem alii ma-
xime ascendentium successionem dubiam reddidere. Sunt
& alii diversi effectus in feudis novis jure antiquorum con-
cessis, ac in feudis antiquis, qui sese offerunt ratione' succes-
sionis, alienationis & amissionis, & ex diversa indole ho-
rum feudorum profluent.

§. XII.

Caveas tamen, ne omne illud pro diverso sumas, quod ROSENTHALIUM
apparenter tale est. Video ROSENTHALIUM de Feudis C. 2. limitatio re-
Concl. 14. generalem conclusionem, quod feudum novum sicutur,
j. a. concessum assumat qualitates antiqui, limitare in casu,
si dominus concedens talis persona sit, que libere de isto disponere
non possit. In quo exceptionem de regula, non à regula
affert. Feudum enim, si ab Episcopo vel Pralato nulliter
constitutum, nec justo tempore præscriptum, quoad descen-
dentes, intuitu quorum feudum vere antiquum esset, nequi-
dem subsisteret, ut adeo mirandum non sit, quod ejusmo-
di feudum, quoad agnatos non descendantes suum esset. Etiam non
fortiatur. Ut taceam ROSENTHALIUM limitationem su-
am non probare adducto exemplo Pralati, qui 1) rem in
feudari solitam, 2) cum consensu capituli, 3) hoc pacto in feudum
concedet.

*leter vero
adumbra-
res.*

*Proprius acc-
ceditur ad
schema.*

8 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

concedere non valeat, cujus contrarium, & quod Episcoporum potestas reinfendandi adeo restricta non sit, multis ampliationibus luculentissime probatum dedit Dn. BÖHMER J. E. P. ad Tit. X. de Feud. §. 32. seqq. in specie §. 38.

§. XIII.

Quia talis supponuntur Generaliter potius supponendum, feudum ejusmodi novum, j. a. concessum ritè ac legitimè constitutum esse, quod si ratione domini directi concedentis, ratione Vasallii acquirentis & rei in feudum datæ adesset vitium, exinde minus rectè differentia inter feudum antiquum & novum j. a. concessum quereretur. Ad modum constituendi autem, quod attinet, nihil in specie traditurus sum, cum illud instituti mei ratio non sit.

§. XIV.

De differentia in præstatione legitime questione questæ. Itaque priusquam ipsas differentias recensem, præter jam allatam, adhuc duas apparenter tales adduxisse luet. Communiter asserunt, ex feudo novo j. a. collato filiabus deberi legitimam, quod in feudo antiquo sicut est. Supponitur ibi *casus*, patrem omnia sua bona in feudum offerre, vel in acquisitione aut coemtione feudi bona sua ultra modum impendere. Hoc salvâ filiabus legitimâ fieri debuit, alias ipsis remedia juris deneganda non sunt. Differentiam autem hic non subesse, liquet ex eo, quod ipsis filii primi acquirentis, ratione quorum feudum vere antiquum est, ad legitimam filiabus exsolvendam obligentur, ut ita nihil diversi hic subsit, intuitu ceterorum agnatorum, qui ex pacto j. a. in feudo, qua illos alias *novo*, succedunt.

§. XV.

Item in jure Creditorum. Similiter concidit illa differentia, quod creditoribus ex feudis j. a. concessis satisfaciendum sit, cum ex feudis antiquis nihil capere queant, COCCEJ. Hypomnemat. Jur. Feud. Tit. 3. §. 6. Itidem singularis casus est, feudificationem in fraudem creditorum intendi. Neque hic primi acquirentis descendentes liberantur, & si agnatos ex pacto j. a.

ANTIQUUM VEL NOVUM J. A. CONCESSUM.

J. a. vocatos ad debita exsolvenda obligatos esse afferatur.
In hoc cum feudo successione antiquo convenire quoque
patescit. Plane in utroque casu si feudum ex sola Domi-
ni liberalitate profectum sit, neque filia legitimam conse-
cetur sunt, neque et alienum exsolvendum erit, nisi
consuetudines locales a communi feudorum ratione hic
recedant, de quo non disputo.

§. XVI.

Hicce præmissis jam ad ipsas differentias accedo, ubi
ratione duarum priorum jam monui, quod in iis feuda no-
va j. a. concessa cum antiquis compararentur, quæ tamen
ob dissensus DD. hic referendæ essent. Quandoquidem Ratione de-
ergo ratione Domini directi hic nulla adest diversitas, cum minnil in-
diverso jure agnitorum vasallorum ratione successionis ini-
tium faciendum erit,

§. XVII.

PRIMO itaque se offert Successio ascendentium, quos præ- Verum ratio
stantissimi placitorum feudalium interpres in feudis no- ne vasalli, &
vis j. a. concessis admittant STRYK. Ex: J. F. Cap. 16 qv. 3. quidem.
STRUV. Synt. J. F. Cap. 9. apb. 3. n. (4) LUDWEL. intracta. I. in feudo
et de successione feudali cap. ult. reg. 4. pag. m. 300. SCHRAES cesso. succe-
DER de Feudis part. 7. cap. 6. n. 5. ROSENTHAL de Feudis dunt ascen-
sap. 7. concl. 14. n. 20. HORN in Jpr. Feud. cap. 16. §. 3. TI- dentes.
TUS im teutschen Lehn-Recht cap. 22. §. 2. & in Jure Ex mente ce-
Privato Lib. 2. cap. 16. S. E. COCCEJUS Hypomn. Jur. Feud. lebrium Fea-
sit. 10. §. 11. Licet Ascendentes in feuda vere antiqua suc- distarum.
cedere in sensu proprio dici non possit; semper enim feu-
dum paternum sive antiquum defertur ab ascendentibus
in descendentes, ac ordinarie filius aut nepos in feudo non
nisi defuncto avo aut patre succedere potest. STRUV.
alleg. loco n. 2. Et hæc omnino vera sunt, non tantum,
quando in linea recta de successione queritur, verum etiam
si feudum per successionem devolvatur ad lineam collatera-
lem, ubi pater, nimirum ultimi possessoris frater vel agna-
tus alias, gradu filio proximior est, & feendum ante fili-

B

um

Id quod in
vere antiqua
rariissime sic
ri potest.

10 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

um consequitur, qui morte demum parentis, vel si hic in istius favorem se feudo abdicaverit, qui casus plane singularis est, in eo succedit.

S. XIX.

Dissentient. Hinc, quia ascendentis in feudis verè antiquis non sive nonnulli, nec cedunt, nec minus Celebratissimi JCti successionem ascendentibus in feudis novis jure antiquorum concessis dene- ascendentis in feudis novis j. a. con- gaverunt. LUDER MENCKEN in Diff. Lipf. de simultanea investitura ad ascendentibus ad successionem feudalem apud Saxones necessaria S. 16. allegat. SCHWENDEND. Exerc. feud. 2. tb. 23. ac magis in negantium sententiam inclinasse ex ar- gumentis allatis videtur. Conf. quoque SUENDEN- DOREFF. in annotat Jur. Feud. ad Lucubrat. J. R. Exercit. II. verb. PER TEXT. I. F. 19. in fin. GEORG. BEYER, qui ascendentis in feudis novis j. a. concessis ipse admise- rat in Delineat. J. F. cap. 7. posit. 47. in notis novissimis ad dict. posit. à priori sua sententia recessit & in differt. de prole- mate juridico: Ascendentium in feudis nullam esse successionem S. 19. argumentis à SUENDENDORFFERO & MENCKENIO prolatis subscripsit. Itidem Dn. JOH. LAUR. FLEISCHER Inst. Jur. Feud. cap. 12. §. 3. in casu, si Dominus filio feu- dum jure antiqui dederit, obtinere ait II. F. 50. successionis feudi talem esse naturam, quod ascendentis non succedant. In hoc tantorum virorum dissensa in utriusque sententiæ rationes inquisivisse operæ pretium esse duxi.

S. XIX.

Quorum ar- Qui ascendentis à successione in feudo novo jure an- gumenta re- tiqui collato arcent, provocant ad modo adductum textum feruntur. II. F. 50. ibi: Successionis feudi talis est natura, quod ascendentis non succedunt &c. Ob dictum textum diversam ait MENCKEN d. l. superioris cognationis & eorum, qui a latere veniunt, condi- zionem. Siquidem, ut idem pergit, collaterales per expressam Juris Feudalis dispositionem in paterno feudo ad successionem eodem textu vocantur, quo Ascendentis ab ea excludantur. Hinc argumen- tatur: Cum igitur ne in antiquo quidem feudo jus succedendi ipsi regulariter tribuatur, in feudo, quod jure veteris concessum est,

notiora

ANTIQUUM VEL NOVUM J. A. CONCESSUM. II

potiora jura haud habebunt. Similiter SUENDENDORFFER d. annotat. & BEYER ex eo, quod ascendentes defuncti vasalli, qui à primo acquirente descendunt, in feudo non succedant, colligunt, eos neque in feudo novo jure antiqui concessio admittendos esse. Præterea IDEM BEYER tota disputatione id' egit, ut ascendentium successionem in feudis everteret, provocans ad *Librum Veterem de Beneficiis à THOMASIO editum*, ad *Jus Feudale SAXONICUM*, & ad *Jus Feudale ALEMANNICUM*, inde hanc regulam formans: *In feudis non nisi descendentes masculos ultimi possessoris, sive is primus acquireret, sive successor fuerit, succedere.*

§. XX.

Speciosa satis hæc argumenta sunt, quibus jam respon-
dendum, & thesis supra relata defendenda est. Animus ^{in specie} Beyero.
vero non est, contra prætensam regulam Juris Germanici latius disputare, videatur tamen ill. Dn. de LUDEWIG diff. de *Simultanea Investitura*. Habeat illa suum effectum in Saxonia & in reliquis terris, ubi simultanea investitura Saxonica recepta & per Ordin. Jud. Aul. Ferdin. III. Tit. 3. §.
*In welchen Geschlechten re. II. confirmata est, adeo, ut in illis ascendentes sine expressa investitura non succedant, qua in re a MENCKENIO & BEYERO non dissentio, verum & quoad collaterales idem asserendum esse cum STRYKIO, Vol. 4. disp. 21. de *presumptione feudali* cap. 5. n. 24. ex istimo, ut illis per clausulam jure feudi antiqui nequaquam successio competit, nisi ^{in specie} simultanea investitura sint, eamque simultaneam investituram omni casu renovari curaverint. Specialis hujus simultaneæ investitura ratio est, quod per verba, *equipollentia* ea introducta non dicatur, ea tamen ad alia loca non poterit extendi. Supereft itaque ut de argumendo ex II. F. 50. petitio jam dispiciamus.*

§. XXI.

Omnino autem statuendum esse puto, dictum tex- ^{argumen-} tum illud non involvere, quod dissentientes JCti exinde to ex II. F. elicere satagunt. *Natura feudalis* quidem esto, quod paren- ^{50. defun-} tes

12 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

Ex Bitschio *C* tes in feudis antiquis non succedant. Id supra ipse non negavi, & quod ejusmodi casus dari non possit, cum STRU-
VI O assertus. Verum nulla prohibito in dicto textu ostend-
di poterit. BITSCHIUS in commentario ad d. s. i. obseruavit,
Feudistam nullam rationem sui asserti dedisse, ejus autem
verba sic explicari posse autamat, quod natura feudi non pa-
tiatur; ut in eo ascendentes seu parentes, qui quidem feudi capaces
Rittershu-
fio vera in-
terpretatio-
II. F. L. offer-
tur.
Ex ostendi- fuerit succedant, quia bi non amplius superfites sunt, & feendum
ab ipsiis ad vasallum ultimum pervenerat. Pariter fere habent,
qua CONR. RITTERSHUSIUS in Partit. Feudal. cap. 12.
n. 9. hanc in rem asserti, ibi: *Cur talis est natura, quia si feu-*
dum antiquum tunc impossibile est; ut feendum à descendentiibus ad
ascendentes successione devolvatur, cum potius contra ab ascenden-
tibus jam mortuis in descendentes permanet, & nec amplius eo ca-
su in rerum natura sint. Quasi diceret compilator, qui non
ubique ut legislator consuetudines Longobardicas dispo-
nitive sed & subinde enunciative exhibet: Es ist nicht mög-
lich und wider einen natürlichen Begriff, daß ein Leben auf
die Ascendenten, j. E. von dem Sohne auf den Vater ver-
stammen könnte, indem der Sohn in der herabgehenden Linie
seinem Vater im Lehn allererst folget.

§. XXII.

Ex hoc igitur, quod ascendentes in feudo antiquo
tur, d. ix. naturaliter succedere non possint, male inseritur, eos in ca-
suum obsecare; su, quando succedere possunt, & qui contingit, quando
feendum *jure antiqui* confertur; à successione excluden-
dos esse. Ascendentes enim *inhabiles* dici non possunt suc-
cessionis; ea ratione, quā alii *natura vel legē* feudorum in-
capaces sunt, *conf. I. F. 6. II. F. 36.* cum antequam feendum
ad descendentes pervenerit, illud possederint, licet casus
existere non possit, ut *jure successoris* à descendentiibus ad eos
devolvatur.

§. XXIII.

Ad novam
objectionem
ex Schiltero, Sin autem *relicta* BITSCHI ac RITTERSHUSI senti-
entia, quam ego veram esse reor, naturam successionis
feudalis

feudalis pro *communi feudi ratione* & *consuetudine* accipere mai-
vis cum SCHILTERO diff. de natura successi feudal, qui textus
allegati hanc rationem reddit, cap. 2. §. 2. quod quoad
ascendentes successio feudalis eo non fuerit extensa nec
Jus Civile eatenus receptum in feudali successione. Ipse *respondet*
SCHILTERUS d. c. 2. §. 3. concedit, naturam successionis
per *pactum*, *consuetudinem*, imo per *vacitam conventionem*; qua-
fundamentum totius hujus successionis in feudis novis
jure antiquorum concessis, constituit *supra* §. IV. mutabi-
le esse. Præterea SCHILTERI ratio denegatæ parentibus
successionis ad feuda *nova*, ubi dominus noluit quemquam,
ipsi descendentes succedere, non ad *antiqua* referenda, ubi ma-
nifestissima diversitatis ratio, cum dominus in feudis novis,
vocando solos descendentes, ascendentes sub *investitura*
comprehensos esse noluit.

§. XXIV.

Ad *antiqua* autem feuda, quod attinet, cur dicas Feu-
distam quoad successionem ascendentium Jus Civile non
recepisse? cum pro *communi feudi ratione* & *consuetudine* ca-
sus existere non poterat; Sin autem casus ille accideret, ut
hic in feudo novo j. a. collato, quod certe contra *naturam*
successionis feudalis fieri oportuit, de quo casu Feudistam
locutum esse, verosimile non est, ecur generalis regula,
quam suggerit OBERTUS II. F. 37. ad *agnatum proximo-*
rem feudum pertinere; eodem prorsus observando, quantum ad
ORDINEM GRADUS, QVI CONTINETUR IN LEGI-
BUS locum non habebit? Ipse Feudista id II. F. 1. inculcat,
Sirenum Legi peritum, scibi casus emerget, qui consuetudine,
feudali non sit comprehensus (& quod idem est qui comprehen-
sus esse non presumitur) absque calunnia uti posse LÉGE ser-
pta; ubi LL. ROMANÆ intelliguntur, conf. SCHILTER
d. l. cap. I. §. 9. Sane pater primi acquirentis non tantum
agnatus est, agnati enim dicuntur omnes ascendentes ex li-
nea paterna & descendentes, & ideo pater dicitur filii
suis agnatus, nec requiritur conjunctio mediants alia per-
sona.

B 3

Sona, CARD. TUSCHUS lit. A concl. 244. n. 13. Verum etiam gradu, deficientibus descendantibus, omnes antecedit, præferendus itaque primi acquirentis v. g. fratri in secundo (nisi hic bilateralis sit, de quo infra) & patruo in tertio gradu constitutis. Dein si collaterales primi acquirentis v. c. patrum patri præferas, patrem omnino, si patruus iterum absque prole mascula decederet, admittas necesse est, quia tunc ut *collateralis* ad successionem aspirare poterit quod paradoxum satis palpabile, ut ceteras consequentias jam non adducam.

§. XXV.

*Ac cum re-
futatione
Differen-
tium.*

Ratiō quoque SUENDENDORFFERI, BEYERI atque MENCKENII argumentum supra relatum, ad cuius refutationem me jam accingo, non stringit. Ex sepius allegatō Textu II. F. 50. diversa conditio *ascendentium* & *col-
lateralium* minus recte colligitur. Ascendentes enim cum non amplius sint in rerum naturā, in feudis antiquis non excluduntur, & collaterales qua descendentes à primo acquirente ad successionem vocantur, quod innuit Feudista verbis: Si feudum sit paternum, sive quod quicunque ex superioribus acquisivit II. F. 50. aut sicuti alibi restrinxit, si fuerit illius parentis, qui ejus sit agnationis communis, cum ceteri removeantur agnati II. F. 11. ιασ̄ ἀρθρωτον igitur argumentor: cum ne in antiquo feudo ius succendi collateralibus tribuatur, NI-
SI DESCENDERINT A PRIMO ACQVIRENTE, in feudo novo jure veteris concessa potiora jura haud habebunt. Ecquis maneret effectus clausulæ istius salutaris, quod feudum novum jure veteris habendum sit? Itaque ob deducta rectius *Differentia* sese habet ratiocinii à BEYERO improbatum: *Ascenden-
tata confir-
tes succedunt si id inter dominum & vasallum EXPRESSE actum
matur.* est, ergo etiam si ex his de quibus inter contrahentes convenit, simili-
lis conjectura capi possit idonea, & haec adest si feudum novum
jure antiqui conferatur.

§. XXVI.

Possem hic subsistere, unicam tamen questionem subjun-

Subjungam, an ascendentes pro præteritis vel exclusis habendi, si primi acquirentis agnati (Germanis die Vettern) ad certum quendam gradum in literis investiturae recipi antur, & ratione eorum feudum novum pro antiquo habendum sit? Sic per REVERSALES de Anno 1621. §. 30. der Vettern quarum Extractum videsis apud LUNIG. Corp. Jur. mentio tan-
Reud. Tom. II. p. 1582. in patriâ meâ, si feudum per em-
tionem in aliam familiam transiit, agnati ad quartum gra-
dum inclusive primo acquirenti succedent. Ratio dubi-
tandi, cur ascendentes pro exclusis reputandi, inde de-
sumenda, quia Germanica vox Vettern parentibus pro-
prie non tribuitur. Ob hanc rationem dissentit TOR.
NOV. de Feud. Mecklenb. P. I. Cap. 2. S. 2. §. 10. pag. 182. &
dispositionem §. REVERSALIUM ad ascendentes non ex-
tendit, cum Agnatorum VEL Collateralium ibidem mentio facta.

§. XXVII.

Supponendum ante omnia hic casus est, agnatorum, der Vettern, mentionem non nominatim, sed in genere, referentibus sese literis investiturae ad REVERSALES, Inhalts unser getreuen Ritter- und Landshaftt gründigt ertheilter Reversalien, factam esse, ita enim saepissime literæ investiturae impetrantur, add. TORNOV. d. 4. Sect. 3. §. 10. p. 268. Et per vocationem agnatorum, der Vettern Quod affir-
ascendentes non excludi existimo, cum æque minus fra-
tribus ac parentibus appellatio der Vettern Germanico,
Idiomate in specialiori sensu conveniat, conf. JOANN.
RUDINGERI Cent. V. Singular. Observat. 15, ibi Vettern qui
dicantur, ubi patrum & patruelis hac voce indigitari osten-
dit. Cum itaque nemo erit qui fratribus successionem
denegabit, licet sub nomine der Vettern in specialiori, sen-
su haud veniant, sic nec ascendentes ob id à successione
erunt removendi.

§. XXVIII.

SECUNDO, ratione successionis collateralium, in quo II. in fenda
alias comparantur feuda nova j. a. concessa cum antiquis vere antiquis
ea.

YDE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

Succedunt ea diversitas deprehenditur, quod in his collateralium que collaterales, talium, successio nulla sit, & si succedant, non tam ob id, quam descendentes. quod se invicem agnati attingant, quam quod a primo acquirente descendant, admittantur. Ita recte colligit VULTEJUS de feudis Libr. I. Cap. 9. num. 102. conf. II. ¶ F.

In novis j. a. 50. Cum in feudis novis iure antiquorum concessis etiam ii, qui a primo acquirent non descendunt, sed ejus iam primi acquirentis collaterales sunt, vocentur. Prouti eos admittunt præter DD in §. XVII. allegatos etiam ii, qui ascendentis in hujusmodi feudis non succedere autunant, vid. SUENDEND. in annot. J. Feud ad Lycubrationes J. R. Ex. II. alleg. loco MENCKEN alleg. Dissert. §. 16. BEYER Delia. J. Feud. Cap. 2. Pos. 12. collat. cum Cap. 7. Pos. 47. in not. noviss. Dn. FLEISCHER Inß. J. Feud. Cap. 4. §. 12. Hinc GAILIUS II. Q. 149. in fin. existimat, quod nec hic necesse probare prium acquirentem, quod tamen cum grano salis accipientium.

§. XXIX.

Quid proba. Præterea in feudis vere antiquis collateralibus pro re debent in battio incumbit, quod cum ultimo defuncto descendant feudis vere a primo acquirente, aut communem parentem feudi possessorem antiquis? habuerint, & omnis successio collateralium secundum hanc normam includitur, adeo, ut omnino a successione repellantur, si illud demonstrare non possint. Plane enim singulare est, si agnati omnes admittantur, quando communem stipitem docere nequeunt, id quod SERENISSIMI PRINCIPES, PATRIÆ PATRES, ad humillimas preses OO. Provinc. Ordini Equestri MECKLENBURGICO in antiquis feudis, de quibus non constat, quod ex una familia in aliam per emptionem translata sint, clementissime indulserant, vid. REVERSALES de Anno 1621. §. 24. LINDEMANN. Dissert. Feudal. 2. Cap. 5. §. 49.

§. XXX.

Contra in feudis novis j. a. concessis sufficit pro Generalis autem illa clausula iure antiqui nisi omni effectu destituta dicatur, primi acquirentis collaterales vocantur,

ANTIQUUM VEL NOVUM J. A. CONCESSUM. 15

cat, & ratione illorum nil requirit, nisi ut agnationem probent. Ultra ea tamen, quæ probabiliter conventa sunt, am-
pliari non potest hæc conclusio, nec omnes promiscie a-
gnati admittendi, prout quidam indeterminate loquuntur.
Quousque igitur hæc conclusio locum habeat, paucis di-
spiciendum.

basse agnati
onem tan-
tum
Quousque
hoc procedit,
determina-
tur.

S. XXXI.

Feudum novum jure antiqui variis sub clausulis con-
stitui, supra adduxi; si ut paternum conferatur, als ein Vater re paterni
stlich Lehren, oder als wann es vom Vater erworben, fra-
tres eorumque descendentes, ulterioribus collateralibus
exclusis, sub investitura comprehendendi, clarum esse censeo.
Observavit hæc optime CAROLUS MOLINÆUS ad Con-
suetudines Parisienses Tit. I. de Matiere feodal. S. 5. n. 81. Ubi
casus diversos a se invicem probe distinguit, a quo minus
recte recedit sibi ipsi non constans ROSENTHAL de feu-
dis cap. 2. conclus. 13. n. 6. ex causa, quod, quia paternum ef-
fectu hodie ab antiquo non dispat, sequatur, & in feudo no-
vo, sub hac clausula concessio, inter paternum & antiquum dif-
ferentiam non esse collocandam, hinc DDBus ad stipulatur,
qui collaterales indifferenter hic admittunt. Feudista
quidem promiscue utitur voce paterni & antiqui, nec diffe-
rentiam inter utrumque feudum I. F. 8. constituit, conf.
I. F. I. § 4. STRUV. cap. 3. eph. 2. n. 1. LINDEMANN
disp. feudal. I. c. I. §. 36. BITSCHIUS ad I. F. 8. §. 1. sed, ut
taceam, minus accurate eum sapissime loqui, conf. TITI-
US teutsch. Lehn-Recht, c. 22. §. 42. paternum feudum in-
telligit de agnatosuccessu, conf. II. F. 11. plane diverso re-
spectu ac feudum novum j. a. conceditur, quod intelli-
gendum respectu acquirentis, ut in ejus persona pro paterno
habeatur, non simpliciter pro paterno ratione omnium
agnatorum, quorum mentio ne quidem facta, ut ad eos
dicta verba porrigi queat. Ceterum feudum antiquum
& paternum ratione effectus non differunt, quatenus o-
mnibus, qui in utroque ad successionem admitti cupiunt,

C

probatio

13 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE

probatio incumbit, ratione sui esse paternum seu quendam ex suis superioribus acquisivisse, conf. II. F. 50. Alias negari non potest, sub feudo vere antiquo, quod à majoribus pervenit, plures personas contineri, ac in feudo proprio paterno.

§. XXXII.

*Si cl. jure
aviti,*

Similiter sese res habet, si feudum fuerit concessum *jure aviti*, als ein Groß-Väterliches Lehn, oder als wann es von dem Groß-Vater erlanget wäre, tunc succedunt descendentes ab avo paterno vasalli, MOLINÆUS d. l. Quia feudum regulariter datur *agnationi* & masculinum est, hinc ab avo materno descendentes vocati non censemur. In feudo enim *jure aviti concessio* ut plures agnati, quam in feudo vere avito succedant, non admittendum; Atqui in feudo vere avito excluditur patrius magnus ultimi defuncti per disertum textum II. F. 11. ergo multo magis in feudo *jure aviti concessio* primi acquirentis patrius magnus removendus. Idem dicendum, si sit concessum *jure feudi proaviti*, di *proaviti* als wann es von dem Elter-Vater erworben, & sic de ceteris. MOLINÆUS d. l. Illud vero monendum, quod ex verbis investituræ de hujusmodi intentione probabiliter constare debeat, nec prætereundum, vocem *Alt-Väterlich Lehn*, ambiguam esse, neque feudum *proavitum* simpliciter involvere, sed altius positos ascendentibus significari per denominationem *der Alt-Vater*.

§. XXXIII.

*Si addita sit
prioribus.
Cl. jure an-
tiqui.*

Si additum fuerit prioribus clausulis etiam *jure feudi antiqui*, tunc existimat MOLINÆUS d. l. n. 83. quod descendentes ab atavo primi acquirentis hic intelligantur. Verum de eo dubito, quia MOLINÆUS præjudicio eo adhuc imbutus est, quasi feudum antiquum a paterno per II. F. 8. distinguatur, ac ultra quartum gradum feudum antiquum vocandum sit, quod merito improbatur aliis. Ego existimo, clausulam *jure antiqui* & *paterni feudi*, zu einem alten und Väterlichen Lehn, ita commode intelligi

gi posse, ut prius per posterius restringatur, quatenus
sc. feudum antiquum reputandum sit, conf. ROSEN-
THAL d. c. 2. consl. 13. n. 77.

§. XXXIV.

Apud Germanos adhuc cognita est clausula zu einem De reliquis
alten oder Altväterlichen Stamm-lehn, & quod expressius, clausulis.
si additur, daß alle Vettern eines Rahmens, Schildes und
Helms, oder so lange Schild und Helm währet, succedi-
ren sollen, tunc agnatos omnes, nisi ex literis investituræ
appareat, contrarium inter partes probabiliter conventum
esse, admittendos esse arbitror, dummodo agnationem
legitime demonstrent. Quando autem omnes agnati
vocati præsumuntur, tunc nulla differentia est quaren-
da in eo, an feudum j. a. concessum statim a primo ac-
quirente in collaterales transierit, an vero illud venerit
primo ad descendentes, ita ut priori casu agnati admittantur
tantum ad septimum gradum, in posteriori autem in infinitum,
quæ sententia, licet teste MYNSINGERO Cent. 2. O. 95.
in Camera Imperiali aliquando recepta sit, solido tamen
fundamento destituitur. Et hæcce sufficiant occasione
secundæ differentiæ, quod in feudo novo j. a. concessio
primi acquirentis collaterales admittantur, cum in feudo
antiquo collaterales non succedant, nisi simul probaverint,
se descendere a primo vasallo.

*Ubi collate-
rales in infi-
nitum succe-
dunt.*

§. XXXV.

Communiter docent Feudistaræ, in feudis antiquis du- III. in feu-
plicitatem vinculi ratione fratrum, fratrumque liberorum dis antiquis
non attendi. Verum liceat mihi hic recedere a commu- non attendi-
ni opinione, fratres bilaterales, eorumque filios potiores ras, vinculis,
existimando in feudis novis jure antiquorum collatis,
quam qui primo acquirenti a patre tantum conjuncti sunt. Esto hæc TERTIA differentia inter feuda vetera Id quod ra-
& quæ eorum jure, ex pacto estimantur. Quod ad tione feu-
feudum antiquum attinet, consanguineorum una cum dor. novor.
germanis fratribus successionem in dubium vocavit, atque j. a. concess.
fratres ferentiam novam dif-

constituit. fratres bilaterales praferendos duxit Feudistarum unicus, quod scio, GVIL. FORNERIUS in *Commentar. de Feud.* *Textus ex- sit. de success. Collat. n. 4.* quippe qui, cum negari non pos- fit expressum textum hic omnino deficere, quod etiam non diffitetur VULTEJUS de feudis Lib. I. Cap. 2. n. 108. ita ob II. F. I. quia hic easus consuetudine feudi expresse non est comprehensus, dispositionem Novella 118. Cap. 3. item Autb. Cessante cum Auth. seq. Cod. de legitim. hered. puerat hic merito observandam esse. Cui subscriptissime vide- tur Ill. DN. de LUDEWIG. in *Diss. de differentiis J. Feud. communis atque Borussici* Lib. 2. Feud. Opusc. 2. p. 761. differ- entiam XVI. querendo inter feuda communia & Borus- sica, ubi tamen advertis, quod allegando GAIL. II. C. 153. n. 1. non probet, ipsam Imperialem curiam ita sen- sisce.

§. XXXVI.

Sicutet ta- men ejus ra- dio. Verum quamvis desideretur expressus textus, sua- det tamen juris feudalis ratio, consanguineos in vere pa- ternis seu antiquis simul admittere, quae quidem non tam consistit in eo, quod sola agnatio ibi consideretur, adeoque vinculum alterum a parte matris intercedens, qua alias fratres germani consanguineis potiores sunt, quoad successionem illam nullum effectum habeat, prout ita rationes subducunt ROSENTHAL. de feud. Cap. 7. concl. 57. ibique allegati BDBROS. STRUV. Synt. J. Feud. Cap. 9. aphor. 6. n. 1. LAUTERBACH. Vol. 4. Diss. 22. de singulari fratribus jure, membro 2. §. 40. quam quia hujusmodi feu- dum à patre non à matre profectum. Sufficit enim con- sanguineum & que ex stipite ac sanguine primi acquirentis descendisse. STRUVIUS alleg. loco n. 1. & aequem san- guinem trahere à primo acquirente. HORN. Jurisp. Feud. Cap. 15. §. 4. in fin.

§. XXXVII.

Quoniam hoc sit? Ex modo dicta ratione, si Feudum pervenerit a ma- dre, fratres uterini cum exclusione consanguineorum si- militer

ANTIQUUM VEL NOVUM J. A. CONCESSUM. 28

militer ac germani ad successionem admittuntur, STRUVIUS d. I. n. 2. HORN d. I. §. 9. RITTERSHÜS. Partit. Feuds Lib. I. Cap. 16. qv. 5. manifestissimo documento, fratres consanguineos cum bilateralibus in successione feudali per omnia ejusdem conditionis non esse. Tribus: Certo certius est, ob id JCtos consanguineis favisse, quia feudum ab ascendentे quodam linea mascula (cujus ratione tam consanguinei quam germani aequales sunt filii, omnes eadem coniunctione conjuncti VINCENT. de FRANCHIS Dec. Neapol. 26[n. 8.] pervenit ad fratrem, de cuius successione feudali queritur, ubi consanguinei ex pacto & providentia majorum aequo radicatum jus, nullo modo ipsis afferendum, consecuti erant, add. omnino II. F. 11. § 50. ibi: quod ita intelligendum est, si feudum sit paternum, alias enim fratribus aut collateralium secundum naturam feudorum successio non est.

S. XXXVIII.

Quid itaque dicendum, si feudum à fratre acquisi-
tum, cui tamen qualitates antiqui feudi ita attributæ sunt, ut collaterales sc. fratres in eo succedant. Diversum hic j.a. concessum. Et cessa*n*o
omnino casum esse quilibet videbit, ad quem nec expressa feudalis constitutio, si adesset, multo minus interpreta-
tio DD. qui se fundant in juris feudalis ratione, erit por-
rigenda. Feudum enim eiusmodi neque à patre neque
à matre vel eorum linea prosectorum est, neque in pacto &
providentia majorum fratres consanguinei vel uterini, ex
pacto primi acquirentis fratris jus quoddam succedendi
habituri, se fundare possunt. Illud astimandum non est
secundum regulas successionis feudalnis communis, quæ o-
mnino cessant, quando feudum acquiritur vi pacti vel in-
vestitura, contra naturam feudalem, ibi enim non verisamur
in dispositione legali, sed hominis, NATTA Tom. IV. Conf.
679. n. 12. 23 spq. qui hoc in terminis applicat feudo fra-
terno. Haberent sane tam uterini quam consanguinei a-
quale jus succedendi, nisi hi ob agnationem, quæ in dubio

in feudis tantum consideratur, ac ob pactum fratri*s* acqui-
rentis, qui jure paterni vel antiqui illud acquisivit, posteriores
essent, fratres tamen bilaterales merito eos antecedunt.

§. XXXIX.

*Confirmatur
differentia
allegata.*

Licet enim concedas, consanguineos &que ac fratres
bilaterales agnatos esse, in qua ratione consanguinei potis-
simus esse fundant, recte à fideicommisso & statuto, quod
favorem agnationis respicit, argumentum deducitur. Nam
ibi consanguineus quoque agnatus est, inde tamen non
sequitur, quod ordo succedendi, jure communi praescri-
ptus non debeat observari. Ratio est, ut bona maneat in
familia, nulla tamen adeat necessitas, ut tali statuto jus
commune correctum esse dicatur. LAUTERBACH de
Singulari frarum jure, membro 2, §. 41. n. 5. 6. Vol. IV. videatur
tamen Dni FERDINAND. CHRISTOPH. HARPRECHT
diff. Tübinger, de simultanea successione germani & consanguinei
fratris in fideicommissis familiaribus. Et non extantibus fra-
tribus germanis, vel his eorumque filiis deficientibus, re-
spectus agnationis id operaretur, ut consanguinei omni-
bus aliis præferantur.

§. XL.

*Ex verosi-
mili mente
utriusque
partis.*

Accedit, quod si de domini directi mente cogitandum;
ille, quia ejus interesse hic non versatur, non praesuma-
tur in specie consanguineos cum fratribus bilaterali-
bus adæquasse, alias hujus mentionem fecisset; suppo-
no autem investituram in specie de successione fratrum
nihil certi determinare, sed fratres ob clausulam jure anti-
qui ad successionem vocari. E contra, si unquam in in-
vestitura à mente recipientis interpretatio sumenda, & argu-
mentum à verosimili mente contrahentium quicquam va-
leat, prout utrumque urget Werner THUMMERMUHT
in Tractatu sub tit. Brumstab schleusst niemand aus, Fun-
dam. 5. Parium Curia num. 132. in ipsa constitutione feudi
primus acquirens. in cuius favorem clausula modo dicta
& subinde ob erogationem certæ recognitionis, vel quia to-
tum

tum feudum titulo oneroso acquisivit, adjicitur, non tam consanguineis quam bilateralibus favisse creditur, ut gradu haudquam propiores, dilectione tamen ob duplicitatem vinculi superiores habentur: Conf. LAUTERBACH. *Diss. de magis dilectio cap. 5. S. 7. Vol. IV.* Dixi autem notanter, quod in ipsa constitutione feudi primus acquirens bilaterales potiores habuisse censemus sit, ita concidit argumentum, quod ducunt à prohibita testamenti factione in feudis jam constitutis, quare & præsumptioni majoris dilectionis locus esse non posset.

S. XL.

Nec incongruum argumentum inde pro successione Et quia con-
bilateralium desumi posse arbitror, quod JCtis sollicitos sanguinei &
esse video in resolutione questionis, an cum parentibus, parentibus
in casta quando succedunt, uti in praesentiarum, fratres tur.
germani simili admittendi sint? De fratribus unilateralibus
altum silentium. Bilaterales autem vocantur à magni no-
minis JCtis LUDWEL. *Syntagm. J. F. cap. 10. reg. I. pag. 206.*
ibique all. SCHRADER & ROENTHAL, quibus ego quo-
ad feuda nova j. a. concessa accedo. Atque sic, concu-
rentibus pluribus circumstantiis, ac præsumptionibus an-
te aliquot annos in favorem bilateralium respondit III. OR-
DO FCTORUM NOSTRATIUM, cui sententia subscripta
DOMINI HALENSES.

S. XLII.

Porro singulare jure, contra successionem allodialem, IV. in Feu-
dis antiquis
in feudis introductum est, ut in successione collateralium
primo de linea, deinceps de gradu quæratur, ita ut patruus de-
functi, utpote gradu proximior, in feudo defuncti fratris
nepotibus non præferatur, quia hi ratione lineæ proximi-
res sunt. Rationem hujus, quam exponit STRUVIUS
cap. 9. aph. 7. n. 4. seqq. hic repetendam omnino duxi, ut ex
eo extimetur, an lineali successioni in feudis novis j. a. con-
cessis similiter locus sit, quod ego quidem non sentio, no-
vam item.

24 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE.

vam & QVARTAM inde differentiam constituens, inter feudi
da vere antiqua & quæ jure eorum conferuntur.

S. XLIIH.

Ratio prioris ex Struvio. Proponit STRUVIUS d. l. n. 4. sequentem casum:
Vassallus quidam Sticbus reliquit duos filios Cajum & Semp
ronium, quorum alter Cajus obtinuit feudum, & habens
iterum duos filios Titium & Mervium, ad Mervium feudum
transmittit. Quo Mervio, sine prole mascula defuncto, quæ-
ritur: an patruus defuncti, Sempronius præferatur Titii ne-
poti Sejo? Quod ex ratione linealis successionis negat.
Ita autem eam refert num. 5. „Omnis investitura feudi,
„tum ea, que noviter conceditur, tum que renovatur, ita fit,
„ut quis ejusque descendentes de feudo investiantur.
„Quod si jam ita investitus moriatur, nullis descendenti-
„bus relictis, ut in dato Exemplo Mervius, necesse est, ut (in
„feudo scil. antiquo, de cuius successione hic agitur) recurramus
„ad proxime præcedentem investitaram ejus, a
„quo feudum in defunctum est devolutum, nim. Patris
„Caji: Secundum illius itaque investitaram admittendi
„sunt non ipsius collaterales, ut frater, qui est defuncti pa-
„trius Sempronius, sed descendentes, ut pronepos, ejus
„qui frater fuit defuncti, nepos Sejus. Quod si vero ex li-
„nea ejus qui proxime est investitus, nulli existent de-
„scendentes, ulterius ad ulteriorem investitaram nim.
„avi recurrimus, juxta quam itidem ejus succedunt de-
„scendentes (e. g. ejus filius, qui est defuncti pairus) Hujus
„descendentibus etiam non extantibus, ad proavi investi-
„turam deveniendum, & sic deinceps, usque dum sub-
„sistamus in primo acquirente, a quo cum omnes prove-
„niant, nullo respectu ejus sunt linea diversa, adcoque
„omnes linea æqualiter admittuntur.

S. XLIV.

Ex Pistor. Confirmat rationem STRUVII suppeditatam alias
quam ex Harim. PISTORIS Idem afferit, quod scil. is.
qui divisione facta consenfit, (ut in casu adducto Sempronius)
ut

ut feudum alteri (*Cajo*) obveniret, hoc ipso juri suo, respe-
ctu ejus, ad quem feudum pervenit, renunciasse, atque id
in illum transfusisse. Unde merito tam ille, qui ita con-
fessit, ut feudum alteri obveniret, quam descendentes ab
eo, ad successionem tamdiu non admittuntur, quam diu
ille, cui feudum istius consensu obvenit, vel ejus descen-
dentes supersunt.

§. XLV.

Sufficerent hæ rationes, admodum concinnæ, contra *SCHILTERUM*, qui in *dissert. de natura success. feud.* Cap. 3. *l. Schilte-*
totam linealem successionem destruere operose conatus *Qne prævæ-*
ri momentis,
est, si vel maxime ostendi non posset, eam in textu J. F.
fundatam esse. Ast ex II. F. 50. ad quem tit. coram entus
est *SCHILTERUS*, non obscure colligi poterit, si casus
adæquatus formetur, prouti facili negotio probandum
esset, ut taceam ipsum *SCHILTERUM*, approbando
SONSBECKII casus decisionem, admittere thesin sibi
ipsi contrariam, quamvis coloribus quæfitis hoc evitare
voluerit.

§. XLVI.

Verum, licet hac ratione linealem successionem fit. Sed ad fea-
duo stare tali concesserim, ea tamen, ut singularis ac enor- da nova j. a.
mis, ultra rationem ab ipsis ejus defensoribus suppedita. concessa non
tam porrigi non potest ad feuda nova j. antiqui concessa. potest porri-
Sicuti enim *STRUVIUS* tantum loquitur de *feudo antiquo*, &
& subsistendum dicit in primo acquirente, cuius respectu
nullæ linea diversæ dicuntur, cum ille unam tantum con-
stituat lineam; *TITIUS Jure Privato Lib. II. Cap. 16. §. II.*
ita gradus solummodo ratio habenda, ad ductum II. F. 37.
eodem prorsus observando, quantum ad ordinem gradus, qui conti-
netur in legibus. Neque dici potest, quod hic quædam in-
vestitura magis faveat descendantibus à patre primi acqui-
rentis, quam ejus agnatis ab avo oriundis, cum primus ac-

D

qui.

quires noviter de eo investitus, cuius intuitu descendentes ipsius potiores sunt, ac ceteri agnati collaterales. Antiquior autem investitura ignoratur, quæ nec in certa persona fingi, nec id operari poterit, ut pater ante acquirentem feudum possedisse dicatur & omnes descendentes ab eo prius vocentur. Feudista quoque concedunt, quod si in linea proximiō plures aliae existant, gradū potiores præferantur. TITIUS d. l. §. 14, ubi eadem quæ hic militat ratio, quod nemo ex priori investitura potius jus possit allegare. Ita, licet auctoritate hic destitutum esse me deprehendam, salvo rectiori concludendum esse duxi.

§. XLVII.

V. in feudis feminarum successione Subjicienda est haec tenus recensitis differentiis ratione *successio est subsidiaria.* obvenientibus *QVINTO LOCO* adhuc particularis quædam, quæ non omnibus feudis, sed iis tantum applicanda est, quæ primus vasallus pro heredibus tam masculis quam fœminis acquisivit. Hic ad ductum *H. F. 17.* non patet locus fœminæ in feudi vere antiqui successione, donec masculus supereft ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus; Dn. de WERNHER *Select. Obs. Part. 7.* *Obs. 230. n. 1.* quam ob causam & quia feuda nova, j. a. concessa in omnibus comparari generaliter ajunt vere antiquis qua transversales, LUDOLPH SCHRADER *de feudis Part. 7. Cap. 4. n. 67. 68.* in feudo novo, jure antiqui acquisito, agnatos transversales, etiam non descendentes à primo vasallo, cum exclusione fœminarum descendentiū à primo acquirente quoque admittit.

§. XLVIII.

In feudis vero novis j. a. Vérum enim vero magis arridet ROSENTHAL *II. cap. 25. concl. 15. in fin.* Et *cap. 7. concl. 39. n. 7.* contrarium tenetis opinio, quod filiaz & fœminæ descendentes, non obstante clausula illa, in feudis novis jure antiqui concessis agna-

agnatis primi acquirentis præferantur. In quam sententiam ^{ha potiores sunt transversalibus primi acquisitentis.} quoque ivit S'TRYK, Vol. 4. Disp. 21. de præsumt. feud. c. 4. n. 39. seqq. Fundata nimis est filiarum intentio in rectâ pacti istiusmodi, in placitis feudalibus II. F. 18. approbatâ interprætatione, quod unusquisque prius sibi suisque heredibus, quam agnatis prospexit, sit intelligendus. Quod confirmatur per hoc, ut optime observat ROSENTHAL cap. 7. concl. 39. §. 7. quod omnia ex voluntate acquirentis a principio solum dependunt videantur, cum concedentis parum aut nihil fere interfit, ut qui consensit hoc feendum ad fœminas etiam quandoque pertinere, & eundem illum animum acquirentis ut ejus heredes, etiam fœminæ, agnatis præferantur, voluisse, facile largiendum erit. Sed hanc differentiam studio latius non expendam, ut sic comode scopulos Feudistarum, quoad successionem fœminarum mirifice dissentientium, evitare queam.

§. XLIX.

Accedo jam ad novam differentiam quæ in ordine VI. Feendum SEXTA est, & ratione alienationis obtinet. Hæc regulariter antiquum in feudis antiquis fieri nequit. II. F. 52. STRUV. cap. 13. non alienandum nisi consensu Domini. apb. I. sed Domini consensus adhuc bendus est. IDEM Apb. 2. sensu Domini qui si accesserit, feudi quidem alienatio licita & valida, ni. IDEM Apb. 14. filiis tamen ac agnatis a primo acquirente descendantibus competunt remedia ex II. F. 26. §. 5. Et salvo jure Titius filios masculos. &c. conferatur ZIEGLER peculiar. ad agnatorum. bunc textum disputat. de jure revocandi quod agnatis solis, & jure retrahendi quod filiis cum agnatis competit: add. STRUV. d. l. apb. 15. 16. ita ut feendum, in cuius alienationem non consenserunt, modo jure protinus, si res integra, recuperare, aut postea retrahere, vel etiam, nullo dato pretio revocare queant.

§. L.

Dixi, regulariter Domini consensum requirendum est. Alienari ^{et se,} D. 2

*men potest in
agnatum in
iuv. situra-
comprehen-
sum.*

*Quod & ob-
tinet in feu-
dis novis j. a.
concessis.*

se, qui tamen necessarius non est tunc, quando feudum in agnatum à primo vasallo descendenter alienatur, quæ alienatio in jure feudali in specie sub nomine *refutationis* venit, II. F. 14. & 38. Dn. de WERNHER, *Select. Observat. For. P. 2. Obs. 368. n. 3. 4.* ubi Responsum Dnn. WITTEBERGENSIUM adducit. Et in hoc convenit feudum novum jure antiqui collatum cum vere antiquo, imo in agnatos transversales, qui ob clausulam *jure antiqui* vocati censentur, sine praesenti domini rite alienatur, MENOCH. *Lib. II. Conf. 1033. n. 7.* Cum alias si transferatur in eum qui in investitura comprehensus non est, dominus ad impertendum consensum adeundus fuisset. Ratio istius conclusionis in promtu est, quia dominus per dictam clausulam jure antiqui sibi præjudicare & agnatos transversales succedere voluit, ut itaque nullum ipsi præjudicium hac alienatione creetur.

§. LII.

*In quo qua-
renda sit
differentia.* Differentia autem inter feuda antiqua & quæ eorum jure conferuntur quaerenda est in hoc, quod si Vasallus acquires cum consensu domini directi ejusmodi feudum alienaverit in extraneum, agnati transversales primi acquirentis iis remediis, quæ ipsis competenter in feudis vere antiquis, non gaudeant. Quippe præsumendum non est, vasallum primum in suum odium manus sibi ipsis ligasse ROSENTHAL de Feud. Cap. 2. Concl. 15. n. 2. & generaliter DD. inferunt, quod Clauſula *jure antiqui* procedat tantum in favorem vasalli, nec in odium ejus torqueri debat, IDEM per all. DD. Lit. a. Ergo HORNIUS Jurispr. Feud. cap. 3. §. 10. feudo novo, concessio jure antiqui, effectum feudi antiqui non tribuit, nisi Dominus & Vasallus in voluntate perseveraverint.

§. LII.

*Quæ summa-
tur.* Excipiunt hic DD. si cum agnatis hoc nomine pactio-
nes initæ sint, illas omnino servandas esse. HORNIUS
d. l.

d. I. HARTM. PISTOR Lib. 2. qv. 44. De quo nemo am-
biget. Ast supponitur hic generaliter pacta cum agnatis
specialia non intervenisse, alias, ratione eorum, feudum
vere novum esset, ut supra §. V. ipse monui. Si restrin-
genda primi vasalli acquisitoris libertas alienandi, hoc ob-
servandum erit in casu, quo bona stemmatica in feudum
obtulit, quod non, nisi consentientibus agnatis, fieri potuit;
& tunc agnatorum jura successionis per dictam clausulam
generalem confirmantur, licet expresse nihil hac de re pacta
sint.

§. LIII.

An autem eadem facultas libere alienandi ejusmodi Nova ^{qua-}
feuda nova jure antiquorum concessa etiam primi acqui- ^{sito.}
rentis descendantibus competit? alia quæstio, quæ non adeo
liquida est. Cum primus acquirens ea feuda familie con-
servare voluisse dici possit, videtur quod quicquid juris in
fideicommissis familiarium Nobilium est, hic quoque ob-
tineat. Conf. KNIPSCHILD de Fideicommissis familiarium
Nobil. cap. II. n. 1. (ubi num. 6. docet, quod alienatio tacite
in fideicommissis prohibita censenda) & quod negative
resolvenda sit quæstio. Verum, cum ad fideicommissa
constituenda requiratur certus atque deliberatus animus,
qui hic in acquirente quoad collaterales non aequa demon-
strari poterit, magis inclino in contrarium, ut ipsis primi
acquirentis descendantibus neque hæc facultas alienandi
devengetur, cum iura primi acquisitoris per successionem
in eos devoluta esse, commode dici queat.

§. LIV.

Restat, ut paucis adhuc exponam, qualis differentia VII. Vasallus
ratione ammissionis subsit inter feuda antiqua & nova quæ an. delinquendo
tiqorum jure conferuntur. Regulariter Vasallus fredo, non præju-
scendentibus tantum ex se, delicto suo præjudicium gene- dient. collat-
rat, ut hi perpetuo a successione feudi repellantur, agna- teribus

in feudo an- torum autem transversalium jus ex pacto & providentia ma-
riquo. jorum in feudis vere antiquis ipsis competens intervertere
nequit. Sed illi, si ex Vasalli delinquentis descendantibus
nemo amplius adfuerit, ad successionem admittendi STRU-
VIUS cap. 15. apb. 14. ibique alleg. DD. Ulterius enim feudum
ad dominum devolutum non est, quam quoniamque se jus Va-
salli delinquentis extendit, STRYK. Ex J. F. c. 23. qv. 48.
Atque cum filii omne jus succedendi in feudis, ex communī
Doctōrum sententiā, a patre habeant, hi quidem excluduntur,
agnatorum autem conditio ob diversam rationem dete-
rior reddi non poterit. Video quidem hic dissentire LUD-
WEL. Synopsi Jur. Feud. cap. 18. p. 387. ac GUDELINUM de
jure feud. p. 5. cap. 4. n. 3. verum STRUVII atiorumque sen-
tentia ut benignior hic erit praeferenda.

§. LV.

Secus ac in Ex allegata ratione mox liquet, diversum omnino obti-
feudo novo j. nere debere in feudis novis iure antiquorum concessis, quod
a. concessō. hic quoque agnati primi acquirentis collaterales merito re-
pellantur, si primus Vasallus vel ejus descendentes delique-
rint, quippe hoc casu agnati non minus ac descendentes
omne jus succedendi ex pacto primi acquirentis habent,
quem suo facto iterum illud intervetere dici poterit. Ita
concludit ROSENTHALIUS cap. II. concl. I. n. 5.

§. LVI.

Nova que- De eo tamen dubitari poterit, an si descendentes primi
sia. acquirentis feloniam commiserint, hoc &que prajudicio es-
set primi acquirentis collateralibus. Quod si illis denegetur
potestas alienandi in prajudicium agnatorum, argumenta-
tio valide procederet; Qui enim non potest prajudicare vel
alienare contrahendo, is quoque delinquendo prajudicare ne-
quit, KNIPSCHILD de fideicommissis famil. cap. 16. n. 328.
cum delicta magis sint odiosa quam contractus, & perpetuo
verum

verum sit, quod nemo ex alieno delicto damnum sentiat.
 IDEM d. l. n. 329. Verum cum jamjam assertum sit, quod de-
 scendentes, refragantibus quoque agnatis, hujusmodi feu-
 dum cum consensu Domini valide alienent, & is in quem
 alienatio facta, quoad agnatos liberas ædes, libera feuda ha-
 beat, superius adductum argumentum collabitur.

S. LVII.

Et hæc sufficerent pro ratione temporis, quod omnia in-
 dagare non permisit, de differentiis inter feuda antiqua &
 quæ eorum jure conferuntur, adduxisse. Priusquam tamen
 præsenti disquisitioni finem imponam, subjiciendæ sunt
 quædam generales limitationes, in quibus superius factæ vel
 elicite conclusiones merito restringuntur, neque locum ha-
 bituræ sunt.

*Acceditur
ad limita-
tiones.*

S. LVIII.

Primus casus est, si feudum ob feloniam in Dominum *Primus casus.*
 directo commissum, & velò hoc iterum à domino sibi gra- *sus.*
 tiā faciente acquisiverit, *jure antiqui.* Hoc ut fiat instar
 cautelæ, commendat incomparabilis JCtus HERTIUS *Opu-
 scul. Vol. 2. Tom. 3: diss. de Jurisprudentia cavente, Sect. 2, S. 2.*
 ut dissensus JCtorum, qui sane in præsenti materia infiniti
 sunt, circa questionem an feudum per feloniam amissum domino
 culpam remittente fiat novum? evitarentur. Nam licet TITI-
 US teut. Lehn-Recht, Cap: 5: S. 60, optime rationes ne-
 stat, quod tota hæc quæstio otiosa sit, supponit tamen, agna-
 torum successionem quoad hoc feudum dubiam non esse,
 igitur cautela hæc non est rejicienda.

S. LIX.

In proposito casu quoad agnatos transversales obtine- *Qui expli-
 bunt omnia, nec tamen plura, quæ alias in feudo antiquo erantur.*
 juris erant, maxime cum accedat, quod verior sit sententia
 eorum, qui agnatorum jura per delictum vasalli possessoris
 inter-

32 DE EO QVOD REFERT FEUDUM ESSE VERE &c.

interventi non posse autumant, licet ejusmodi clausula ad-
dita non fuerit, quæ quoque ratione pristini ipsius compe-
tentis ordinis successionis nihil immutabit.


§. LX.

Alter casus.

Alterum casum sic exhibet JACOBUS de ARD ZONE
Summa Jur. Feudor. cap. 143. Si vasillus habens vetus beneficium
investiatur de aliquo novo feudo ab eodem Domino, adjuncto ad alte-
rius feudum, ut habeat illud tanquam antiquum, sicut aliud suum feu-
dum. Quod feudum habendum in omnibus pro antiquo
& accessione prioris, & censendum iisdem juribus, quæ a-
llias ratione feudi antiqui, ad instar cuius hoc concessum est,
obtinebant. WESENBECK. Part. I. Conf. 9. n. 22. COTH-
MANN. Vol. I. Conf. 9. n. 79. quamdiu primus acquirens e-
jusque posteri illud à feudo antiquo per alienationem non
separaverint, quam facilitatem illis nec hic denegan-
dam esse, ut Theses meæ eo melius cohæ-
reant, arbitratus sum.

DEO T. O. M. Studiorum meorum pro-
motori summo sit Laus & gloria.

TANTUM.




01 A 6577
VD 18

ULB Halle
002 937 581



3

R 1017



DISSE¹⁹TATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE EO
QVOD REFERT
FEUDUM ESSE VERE
ANTIQUVM VEL NO-
VUM JURE ANTIQVI
CONCESSUM,
QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO ICTORUM ORDINE
PRAESIDE
VIRO PRAENOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DNO. ERNEST. JOH. FRID.
MANTZEL,
ICTO ET ANTECESSORE FAMIGERATISSIMO AC FCTIS
JURIDICÆ AD h. ACTUM DECANU SPECTABILISSIMO,
PRAECEPTORE AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE OMNI
HONORIS CULTU NUNQVAM NON PROSEQVENDO
IN ILLUSTRI ET PERANTIQA MECKLENBURGEN-
SIUM ACADEMIA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES
AC PRIVILEGIA OBTINENDI
Die 22. Septemb. MDCCXXXV.
H. L. Q. C.
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI EXHIBET
GUST. FRID. SCHWABE, ROSTOCH.
CONSIST. DUCAL. MECKL. ADVOC. & PROCURATOR ORD.
ROSTOCHII, Typis JOH. JAC. ADLERİ, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.